

versus ortum, nunc versus occasum, quasi lente fluctuaret. Summam arcus elevationem 10 gradus superasse judicavimus: qualis quidem hor. 9. 45' vel 50' extremam stellam in cauda Ursæ maj. strin- gebat; illa vero in humero sinistro Bootis jam val- de erat inferior, de claritate tamen sua plane nihil remittens. Præterea, quod diversum hac vice, sta- tim post horam septimam circa Nordwest ex arcu isto Pyramidem ipsi quoad colorem & splendorem conformem subito per Coronæ Herculisque Aste- rismos sese attollentem, apice inter caput Ophiu- chi & Lyræ existente conspeximus. Basis ultra 25 gradus Azimuthales constituebat. Hora 10 dispa- ruit hæc Pyramis. Hora 10 denuo erigebatur, vix tamen ad horæ quadrantem durans, quia rursus concidens. Post horam 11 totum Phænomenon evanuit.

II.

HALÆ MAGDEBURGICÆ.

Sectio quarta Bibliothecæ Observationum ac Recensionum novissimæ nuperrime edita exhibet Observationes quinque, unamque recensionem. Primo loco legitur Observatio Eclipsis Lunæ to- talis die Veneris, 9 Septemb. post merid. an. 1718 in specula Astronomica, quæ Berolini est, Regia, insti- tuta a *Io. Wilb. Wagnero*. Ejus ego non nisi sum- mam hic dabo, ex pluribus phasibus & aliis circum- stantiis inter se collatis ab auctore collectam.

Me-